



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

III. De clericorum cum extraneis feminis familiaritate fugienda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

domini Clodouei regis, pro zelo religionis, vel orthodoxæ fidei dilectione, in Cabilonensi vrbe in ecclesia sancti Vincentii pariter conglobati, ipsius sancti martyris intercessionem poscentes, vt longæuitatem suprascripti principis suo suffragio mereremur, & inspiratione diuina interueniente, de Canonibus significaretur, quod si fuisset aliquid prætermissum, vel per negligentiam, aut ignorantiam vitiatum, in pristinum statum, sicut dudum fuerat a sanctis patribus statutum, deberet auxiliante Christo Domino reformari.

CANONES.

I.

Ita omnes vna conspiratione & conniunte animo sentientes definiuimus, vt fidei norma, sicut in Nicæno Concilio pia est professione firmata, vel a sanctis patribus tradita, atque ab ipsis exposita, vel in postmodum a sancto etiam Calchedonensi Concilio firmata, in omnibus & ab omnibus conseruetur.

II.

Canonum vero statuta ab omnibus intemerata seruentur.

III.

Licet iam prioribus Canonibus fuerit statutum, placuit tamen renouare, vt si quis episcopus, presbyter, aut diaconus, vel quicumque ex sacerdotali catalogo, præter personas quæ in ipsis Canonibus continentur, cum qualicumque extranea muliere familiaritatem habere præsumpserit, quæ dedecoris vel adulterii possit afferre suspicionem, iuxta statuta Canonum ab ordine degradetur.

IV.

Vt duo in vna ciuitate penitus vno tempore nec ordinentur, nec habeantur episcopi, ne res ecclesiæ sæua diuisione debeant partiri.